

DISPUTATIO PHYSICA
De
**SEMINE ANI-
MALIUM,**

Quam
Divino Auxilio
SUB PRÆSIDIO
Viri Praclarissimi atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS Sperlinges

Physices Professoris in illustri ad Albim Aca-
demia publici longè celeberrimi,


DN. Patroni atq; Promotoris sui, omni observan-
tiae cultu ætatem prosequendi,
publico examini submittit

LUDOVICUS HOMMILIUS

Stolpa Pom.

In Auditorio Majori ad diem 14. Augusti

Horis matutinis.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.
ANNO M D C L.

siol.
44.

Physiol. XIII. 9

170.

DISSENTATION

VON

SEMMELHAIN

JULIUS

AN DER UNIVERSITÄT

DRESDEN

IM JAHRE 1870

VON

HERRN

PROFESSOR

DR. THEODOR

HOLMSTEDT

REKTOR

DER UNIVERSITÄT

DRESDEN

VORAN

GELESEN

AM

10. SEPTEMBER

1870

IN

DRESDEN

DRESDEN

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

Illustris, Generosi & Magnifici Viri: silentio si involverem collata à Vobis in me beneficia, piaculo ne me obstringerem, foret periculum. At quì admirabilem Vestram beneficentiam & in liberalium artium cultores munificentiam, vel adumbrarem saltim? nedum vivis eandem depingerem coloribus. Satius fuerit revereri Vos, & ea quæ par est, animi submissione cognoscere merita. Hinc vestris splendidissimis nominibus tabellas has obfigno, meæ erga Vos observantiæ, vestrorumq; meritorum, indicinam. Sed etiam atq; etiam contendo, ne fraudi mihi sit pauculis hisce Chartis Vos accessisse. Suscipite, Magnifici Viri, serenâ fronte quod afferro, magnum Artaxerxem secuti, qui à Synæta homine rustico, aquam manu haustam oblatam contemnere noluit. Valete Patroni summi, & in Patriæ salutem incolumes perennate.

Vest. Illust. Magnif.
 Devotus
 Ludovicus Hommil.

DN. SPERLINGIUM*Præsidentem***JOSUA ARNDIUS**

P. Cæs.

Ingenii felicis opes ramentaꝓve Cœli
 Indulgentis agro non defodienda talenta
 Virtutisꝓve notas factasꝓ; ad pulchra Minervas
 SPERLINGI, quicunꝓ; trahunt ad prælia lingvæ
 Invidiæꝓ; plagas & diræ verbera pennæ
 Quâ Volusi annales referunt chartasꝓ; cacatas
 Et stolidi passim calami convitia, Blennos
 Buccones, porcos, humana indigna Creante
 Testantur de mente Orbi: testantur & illi
 Qui studii cernet nil ædificantia bella
 Æterni torrente rogi. Nil restat honesti
 Artibus, in vetulas jam degeneravimus hujus
 Secli turba virum, Musæꝓ; in fornice corpus
 Projiciunt, vulgiꝓ; sedet nonaria sellis
 Et sese doctrina odit. Pudor exulat omnis
 Nullus amor superum aut Sancti reverentia Cœli
 Restat apud doctos. Et tot veneranda Lycæa
 Ambubajarum collegia despuit orbis
 Sanior & rixas plus quam execratur aniles.
 Heu pietas! æviꝓ; optata modestia prisca!
 O utinam antiqvis servatus forte fuisses
 SPERLINGI generose, viris, celebrisꝓ; stagiræ

Numi-

133.

Numinis æquali vixisses sidere secli
 Quod pecus Arcadicum *Sala* post *balnea* jactat
 Rancidulum extundens crassis de naribus Ocnum
 Delumbiq; fremens schedula puer Alphesibœi
 Transfuga subcelli quondam trivialis, & acres
 Sus ad Amaracinos, & balnea docta molossus.
 Majori mactandus eras cum Socrate famæ
 Furibus excelsæ, canibusq; latrantibus alta
 Scandere quæ nequeunt doctæ fastigia nubis.
 Non capit hic mundus vervecum imitator & usq;
 O serva sub sorte miser! non æstimat illa
 Quæ tu naturæ cœlestia robora firmas
 Seu *semen* quis scire velit seu *traduce* prolis
 Gaudeat, atq; *atomos*, & cætera mille Stagiris
 Digna enitentis cupiat miracula matris.
 Invidet ingenio pauper; balboq; flagello
 Sermonum cædit generosæ numina' famæ
 Debellatq; Jovem fraterculus ipse Gigantum,
 Turpis, ineptus, hians, edentula baxea nigræ
 Alectus furia, vespillo notminis aurei,
 Bustirapusq; bonæ celsa inter nubila famæ,
 Repenti de plebe Corax. Hæc roscida mella
 Oris SPERLINGI mansvetaq; flumina lingvæ
 Et de perpetuo stillantés fonte lepores
 Moresq; ætherei mistumq; decore benignum
 Vitaq; non ulli detrimentosa, nec ulli
 Tam castæ Musæ quicquam cum fraude nocentes,
 Scriptaq; non nudæ perituri nominis umbræ,
 Sed Domino atq; avidæ faculam allucentia turbæ
 Digna tot æternis Cœli monumenta theatris.
 Non ea *Seusboldi* possunt stridore moveri.

A 3

Judi-

Judicet æqua Fides! Solvant convitia nodum
 An vero lutulenta secent. Hæc dextera molles
 Non petit, aut hæc Musa canes. Laus præterit angves
 Mordaces, virtusq; viri sibi conscia recti
 Fucorum bombos & inania sibila muscæ
 Imbellis victura necat. Tum vera Sophorum
 Gens lumbricorum spernit miserabile *semen*
 Contemptu dictura suo, quid censeat aut quid
 Damnet; & hircosis quot centurionibus optet
 Anticyras. Quid Aristoteli? quid in arte Platonis
 Præstet, qui nondum didicit formare labellum?
 O melius melius clamo non tangere! Sed si
 Insanire libet, toto cantaberis orbe
 Stridulus, elumbis, flebisq; immitia fata
 Fortunæ faber ipse tuæ, dum bile carentes
 Irritas crabronis apex, placidasq; columbas
 Accipiter famæ dirâ insectare Mephiti.
 Scilicet à magnâ sperant despecta ruina
 Singula quæqve gradum. At sapientem dejicit alta
 De statione nihil. Docto SPERLINGIUS orbi
 Notus erit, genioq; ejus plenissimus ordo
 Librorum laudatus erit cum *Sausia Bolta*
 Exul erit seclis Corocotæq; insita templis
 Alta viatori figet monumenta fimeti.
 Addicunt sapientis aves, atq; ipsa Stagira
 Læta applausuri dictat Sollistima secli.
 Nil restat dubii; lævum intonuere Salanæ.
 Invidia obstupuit, livor vestigia retro
 Dira tulit balbiq; oris convitia ridet
 Ipse sui. Taceat dixerunt gracculus omnes
 SPERLINGI clangente aquila, quâ currit utrumq;
 Sidus & extremis Thule complodit ab astris,

Ad

AD
V. PRÆST.

DN. LODOICUM HOMMILIUM

Boni ominis gratia scrib.

JOSUA ARNDIUS,
P. Cæs.

URbes tributa, nundinaeq; publicum,
Navesq; pendunt naula portitoribus
Sed, LODOICE, nemo pendit tempori.
Heu quot superbos devoramus Æschylos
Quot eloquentes mergimus Demosthenes
Quot providentes Aulicos necat pugil,
Quot heu quot altas Concionum buccinas
Ars ebibendi vitreis urnis humat!
Sic, LODOICE, pendimus nos tempori.
Hæc sunt tributa tot potentum noctium.
*Rarum est in hisce seculis, Ars Sobria,
Prudens juvenus, & Vir nescius sui,
Sibiq; notus eruditus Socrates.*
Te, LODOICE, te scientem Temporis
Et æstimantem caritatem florida
Ætatis, atq; differendo sedulum,
Sic ebibentem Pegaseia pocula,
Sic delicatis incubantem ferculis,
Sic interendo & exeundo verbera,
Quæ mille stentor ingerit plagis pugil,
Tanto ianista, tam celebri Præstite,
Te laudo. Quid vis invidens Calumnia?
Quid machinaris HOMMILI cervicibus?
En ipsa sacri docta pensa temporis!
En hora sanis orba nunquam litteris!

Licent

Licent modesta sæpè nobis gaudia,
 Licent honesta corporum certamina.
 Hoc crure salva stat Studentis indoles,
 Mediocre durat. Arcus intensus nimis,
 Et mentis illa sacra vis suprâ modum
 Astricta curis & lucernis rumpitur.
 Qvin & Catonis eminentis severitas
 Aspersa flore sæpè Liberi fuit.
 Pulchro profecta corpore Eruditio
 Lætoq; virtus evibrata pectore
 Vel judicante gratior Crasso venit,
 Quàm quæ sepulta frontis horridæ minis
 Ictum videtur exiisse mallei.
 Præfige porrò, LODOICE, carceres
 Hos eruditos indoli politulæ
 Et temperatis docta misce gaudiis,
 Sic ominabor HOMMILO *Seni* Decus,
 Virumq; Doctum Filio, hisce moribus,
 Cui Musa rideat & placeant Floralia.

Τὸ ΣΠΕΡΜΑ τῆς μήλων ἐστὶ Βασκάνη
 καὶ ΣΠΕΡΜΑ τῆτο σπέρμα ἐστὶ ἀληθίης
 καὶ ἐστὶ ΣΠΕΡΜΑ ὠμμίλης Εὐφημίας,
 καὶ σπέρμα πατρὸς ὠμμίλης χαρῆς πέλει.
 τί σπερματίζοι ἀντὶ τῆτος Λοιδόργου;
 τίς δὲ ἔμελλοιτο σπερματίζειν τῶτά γε,
 Ἐρυθριῶντος τῆς λόγης Σπερμολόγης;

DE

D E
SEMINE ANIMA-
LIUM.

Præloquium.

AD communia non erigimur
valdè, & peregrè magis ani-
mus, quam domi est. E dissitis
& ignotis regionibus quæ ve-
niunt, laudamus: ante oculos
& pedes posita contemnimus. Rebus non
ex natura sua, sed distantia & raritate ma-
gnitudo est. At tam in ædibus nostris
DEI potentia, quàm in India aut A-
frica est. Tam in exiguo & communissi-
mo semine, quàm in vastissimo, & nostris
in terris rarissimo, elephante. De ani-
malium semine proponere lubet pau-
ca, & examinare quæ in lucem venêre
pridem. DEUS gloriosus labores secun-
det.

B

THE-

I. Semen Animalium per excrementum definiunt communiter. D. Sennertus, vir summæ eruditionis, summiq; nominis, rejicit excrementum, ac definitionem corrigit. Dicam Sennerto quidam in vicinia scribit, an livore, an veritatis amore motus, judica Lector. Mihi in mentem venit versus:

Omnibus invidias, livide, nemo tibi.

II. Semen, ait, dupliciter sumi. 1. ratione sui materialis & quantæ ad primam originem, vel quantum ad primum sui rudimentum. 2. ratione sui complementi & perfectionis, quod in nativo generationis loco accipit. Illo modo Aristotelem semen finire quod sit excrementum alimenti ultimi; hoc, quod sit id, quod est causa & principium generationis.

III. Miror Aristotelicum causam Aristotelis non agere rectius. Tot absurda, tot inepta involvuntur, ut anno vix possim eloqui ista. De complemento & perfectione quæ habet, mitto: ad rudimentum, ad originem, ad materiam ex qua, me verto. Essentiam tradere conatur, & ad primum rudimentum, ad originem, ad materiam ex qua recurrit. Tandem obtrudendæ juventuti Definitiones sequentes: *Semen est sanguis. Sanguis est Chylus. Chylus est Cibus. Panis est farina. Domus est lutum. Gallina est ovum. Quercus est glans*; & quæ sunt aliæ anilium nugarum reliquæ.

IV. Argumentor. Nulla materia generationis prædicatur synonymicè de toto. Sanguis, chylus & cibus, sunt materia generationis. Ergò non prædicantur synonymicè de toto. Quo posito neque generis sustinebunt vices. Rectè Laurentius ait: Semen dicere excrementum alimenti ultimi, idem est, ac si semen definias sanguinem: quo quid absurdius?

Lib. 8. c. 2. q. 8

V. Pergit

V. Pergit Advers. *Verum autumo, aliam distinctionem, qua fundamentum dijudicanda huic rei praebeat, posse dari. Nimirum si dicamus, semen dupliciter considerari posse; vel absolute, qua esse & fieri suum. 2. Respective uti ad generationem ordinatum, ejus principium & causa existit. Altera definiendi formula absolutam seminis rationem & proprium ejus esse concernit, altera vero respectum ejus, quem ad generationem habet, exponit.*

VI. Aliàs ita sentit, aliàs aliter. In quo acquiescat, non habet. Transeat disjunctio: *Semen consideratur vel absolute; 2. Respective.* Estne semen excrementum? Est, inquit, absolute sumtum, qua esse & fieri suum. Plura falsa, quam verba. Aristoteles quaerit, an semen sit viventis pars, an alimentum, an colliquamentum, an excrementum? Estne hæc absoluta seminis consideratio? Absolute consideras semen, cum id refert ad vivens aut generans? Deinde, origo quid facit ad absolutam seminis considerationem? Absoluta consideratio, simpliciter essentiam exhibet. Malè ergo conjungit esse & fieri. Porro, estne hæc essentia seminis, quod sit excrementum, aut quod sit sanguis? Redeunt omnia illa absurda, quæ prima dabat distinctio.

VII. Hoc illud fundamentum rei dijudicandæ, cum firmius non habeat. Aliam dare vult distinctionem, & ad originem, ad materiam ex qua relabitur. Excrementum est genus seminis, quia est materia ex qua. Nihil absurdius fingi posset. Quid est semen? Est sanguis. Quid sanguis? Chylus. Quid Chylus? Cibus. Hæ sunt accuratæ istæ definitiones, quarum fundamenta posuit hætenus.

VIII. Pergit. *Atq; binc desumpta est definitionis differentia, quod semen dicitur esse excrementum utile alimenti, & quidem ultimi & optimi.* Equè ineptè ponit differentiam ac genus. Usus spectatnè ad essentiam rei? Usus Philosophiæ ad essentiam Philosophiæ? Definienda forsàn Philosophia: Habitus utilis Theologo, Jurisconsulto, & Medico. Et Physica: scientia utilis Theologo, Jurisconsulto & Medico. Hæc illa æternum duratura Philosophia.

B 2

IX. Et

IX. Et quid tandem lac erit? Forsan etiam excrementum utile alimenti & quidem ultimi & optimi. Atque sic lac erit semen, & semen erit lac. Juxta hanc accuratam Philosophiam, quæ essentias rerum ex origine & materia generationis venatur. Egregia novellus hic interpretes erudito orbi proponit dogmata aut deliramenta.

X. Sed altius rem repetere vult, dicitq; Sennertum apertissimam facere injuriam Aristoteli & Aristotelicis. *Tribuere enim istis, quod de semine in genere statuunt, quod sit excrementum.* Nolo adducere id statuentes: sed tantum probationem Adversarii adferam, ut injuria pateat. Probat ex illis Sennerti verbis: *Primò omnium aliquid de seminis natura dicendum, & quidem, non ut vulgo fieri solet, de semine hominis, sed in genere de omni semine, ut per id plantæ & animalia propagantur.* His verbis Sennertum apertissimam facere injuriam Aristotelicis scribit.

XI. Judica Lector, an patiatur, an faciat injuriam Sennertus. Primò, non de Aristotele, sed de vulgo loquitur Sennertus. Verba manifestiora sunt, quam ut torqueri possint. Secundo, non dicit, vulgo de semine in genere statui, quod sit excrementum. Sed, vulgo semen in genere planè non defini. Non dicit, vulgo de omni semine tractari. Sed, vulgo defini tantum semina animalium per excrementum, cum tamen plantæ etiam habeant semina, quæ non erant præter mittenda. Non tam quid faciant, quam quid facere debeant, monet Sennertus. Debebant definire semen in genere, & ad semen hominis & canis recurrunt. Atque sic Sennerto apertissima fit injuria, de qua reddenda ratio Adversario.

XII. Interim confirmata nunc est Sennerti sententia, non confutata. Si enim nec Aristoteles, nec Aristotelici, dum semen definiunt, communem seminis naturam explicant, rectissimè Sennertus scribit, malè ab istis omitti tractationem seminis in genere. Argumentor: Ubiq; pro subiecto universali particulare substituitur, ibi malè proceditur.

In

177

In quæstione de naturâ seminis, pro subjecto universali particulare substituitur. Ergò malè proceditur.

XIII. Cœterùm, rationes vult infringere, quibus probatur semen non esse excrementum. Probant, inquit, *quia in peculiari organo, ex puro sanguine, non sine labore coquitur & elaboratur. Additq; Sperling. certè tot vasa preparantia, tam mirabilem vasorum structuram, plexum & anastomosis, tam exquisitam testium & parastatarum fabricam pro excremento nunquam formasset natura.*

XIV. Respondet primò, *nos ludere ambiguitate vocis, Aristotelicam acceptionem aut ignorantes, aut dissimulantes. Non enim in strictâ significatione sumi excrementum, sed peculiari modo. Verùm è suo ingenio judicat alios, semper ad lusus itare paratus. Mittatur vocabulum. In quacunque significatione sumatur excrementum, peculiare organum & nova coctio probant, semen non esse excrementum, semen non esse reliquias alimentum ultimi, semen non esse sanguinem. Sicut chylus non est cibus, panis non est farina. Nulla hæc est consequentia. Materia ex qua semen fit, est excrementum, hoc est, residuum sanguinis: ergò ipsum quoque semen est excrementum, hoc est residuum sanguinis.*

XV. Respondet 2. *medium quoq; probandi nullum esse. Nam pro excrementis etiam ejiciendis, maximè pro excretionem lotii, plura eaq; nobilissima vasa, mirabilesq; eorum structuræ & anastomoses factas esse. Disputat de rebus, quarum rudissimus est. Si vel nomina nosset, tam turpiter se non daret. Facile dictu, etiam ibi sunt anastomoses, etiam ibi sunt plexus, etiam ibi sunt structuræ mirabiles. O si saperes! Ita quò quis indoctior, eo audacior. Quæso ubi illæ anastomoses? ubi mirabiles illi plexus? Quænam inter substantiam testium & vesicam urinariam convenientia? Nova hæc sunt, à nemine hæcenus dicta, visa & observata. Retineas lotium tuum, ne ipsam excrevisse videaris verecundiam.*

XVI. Sermonem ut contraham, ἀνασθουωσις est conjunctio vasorum per oscula. Sic epigastricæ venæ cum mammariis junguntur, & celebrem illum consensum uteri & mamma-

B 3

mamma-

mammaram efficiunt. Sic radices venæ cavæ cum portæ, & radices portæ cum vena cava cœeunt. Multæ etiam aliàs in corpore venarum & arteriarum anastomoses sunt, ut utriusque sanguinis fiat mixtura. Idem præstant vasa præparantia, quæ per anastomoses junguntur, ut sanguis uterque exactè misceatur, antequam parastatas & testes ingrediatur. Eadem vasa in multos etiam cœeunt plexus, ut cum longiora sint, in angustiore spatio rectius contineantur.

XVII. Ita de re hac Spigelius: *Variis subito plexibus ita inter se cœeunt & commiscentur, ut corpus quoddam efficiant pyramidis formam referens, plenum infinitis venis & arteriis, vario modo sibi per anastomoses mutuas implicitis, cujus basis in parastatas, ad superiorem testis sedem, implantatur. Vocatur plexus hic à nonnullis pampiniformis, ab aliis corpus varicosum.* Hæc cum ad ureteres, aut vesicam, aut nescio quid tandem applicat Adversarius, nunc risum movet, nunc condolentiam. Cæcus fert iudicium de coloribus.

XVIII. Manet interim argumentum: Quicquid fit ex excremento aut residuo sanguinis per novam coctionem in certo organo, illud non est ipsum excrementum aut residuum sanguinis. Semen fit ex excremento aut residuo sanguinis per novam coctionem in certo organo. Ergo semen non est ipsum excrementum aut residuum sanguinis. Major constat, quia aliud est genitum, aliud materia generationis: aliud totum, aliud materia ex qua totum fit. Minor caret controversiâ.

XIX. Pergit Adversarius. *Probant 2. quia in plantis, ut & avibus manifestum sit, semen non esse simpliciter excrementum, sed quid à generante productum, quod suam quantitatem, figuram & conformationem peculiarem habet.* Ita omninò Sennertus è plantarû & animalium quorundam seminibus iudiciû facit de cæteris. Non est deterioris conditionis semen hominis, quàm quercus; semen canis, quam halecis. Cur ergo illa excrementa sint, hæc non sint? cur illa ex sola materia generationis æstimentur, hæc neutiquam?

XX. Re-

XX. Respondet i. *Argumentum non esse oppositum Aristoteli, qui non ita sumat vocem excrementi.* Sed sive huic, sive alii sit oppositum perinde est. Communem sententiam Sennertus refutat, sive eam ex Aristotele sumserint, sive aliunde suxerint. Firma autem manet collectio: si semina plantarum piscium, & avium non sunt excrementa, etiam hominis, etiam canis & leonis semina, non sunt excrementa. At prius concedunt. Concedant ergo etiam posterius. Consequentiam qui negat, det rationem, eamque sufficientem. De voce autem putabam, ex usu communi esse statuendum, non specialiter; praesertim cum aliquid definiendum. Sed non movebimus praemia verbis. Quanquam fatear, me non capere illam Aristotelicam oppositionem: Semen autem est pars animalis, aut alimentum animalis, aut excrementum animalis, hoc est, optimus sanguis. Excrementum alimento oppositum, quid quaeso boni habet?

XXI. Addit Adversus, *Opponens acturus contra thesin Respondentis, contra illius sensum debet argumentari. Ita argumentatur debet retinere significatus vocum & terminorum eisdem, qui sunt in thesi Respondentis.* Alias enascuntur λογουμαχίαι. Sibi hoc dictum putet, non Sennerto. Is ipse est, qui voces sumit, sensum dimittit. Is ipse est, qui nomina & phrasas cavillatur, mirasque inde necit consequentias. Quales illae: Traduci est aliquid ex uno in aliud transferri: ergo tradux est non tradux. Transvehi, transferri, & promoveri, sunt entium actu existentium. E. tradux est non-tradux. Quibus nugis opposita sunt ista: *Rem se habent, in terminorum ac verborum usu facilia sunt modesta ingenia. Re vero data, contra verba adhaec qui dimicant, ruditatem suam produnt. Petulantia est, dicacitate sua viros doctos confectari, quanquam tot explanationibus, tot protestationibus enunciationes suas dederint munitas.*

XXII. Quocumque vero modo sumatur excrementum, semen hominis non magis erit excrementum, quam semen anseris: non magis semen canis, quam semen barbi aut funduli. Si notat excrementum residuum sanguinis, aequè avium semen excrementum erit. Si superfluum alimentum notat

tat

tat, quidni & piscium semina, imò arborum & herbarum erunt excrementa? Res enim nomine notata cui competit, illi nec denegandum nomen. In definitione autem nunquam generis tuebitur vices excrementum, quocumque sumatur modo.

XXIII. Respondet 2. *nec Aristoteli semen animale solummodo esse excrementum, sed quid à generante productum, quod suam quantitatem, figuram & peculiarem conformationem habet.* Si vera hæc sunt, malè per excrementum, tanquam genus, definitur. Argumentor: Quicquid est corpus ex excremento à generante productum, suam habens quantitatem, figuram, & conformationem, id male per excrementum tanquam genus definitur. Semen est corpus ex excremento à generante productum, suam habens quantitatem, figuram, & conformationem. Ergò semen malè per excrementum tanquam genus definitur. Major patet, quia materia generationis non dicitur in quid. Et quid diceretur, cum fiat mutatio materiæ istius, mutatio excrementi, mutatio sanguinis? Minor est Adversarii.

XXIV. Nimis verò liberalis est, dum semini animalium concedit peculiarem conformationem. Semen hominis aut canis habet ne peculiarem conformationem? Certam figuram, certam quantitatem, certum partium situm? Argumentor: Quicquid non est corpus organicum, id non habet peculiarem conformationem. Semen non est corpus organicum. E. Semen non habet peculiarem conformationem. Majorem novit, qui non nescit conformationem ad organa spectare. Minor est Adversarii. Ita perpetuò disputat dere quam non intelligit.

XXV. Pergit. *Nec ulla subest repugnantia; potest siquidem semen & excrementum statui sensu Aristotelico, & à generante productum asseri.* Bellissimè. Nulla tandem erit repugnantia, semen esse sanguinem, sanguinem esse chylum, chylum esse cibum, & panem esse farinam. Illis nempe, quibus genitum est materia generationis, quibus productum est materia productionis

unctionis, quibus essentialiter prædicatur id, ex quo aliquid fit, de eo quod fit. Vestra lingua si proponenda res, dicerem: excrementum connotare privationem formæ feminis, & sic de semine formam illam habente sine contradictione non prædicari.

XXVI. Respondet 3. *Semen Plantarum & animalium confundendum non esse; in his enim sexum dari, in illis non; in his aliam alimenti rationem esse ac in illis.* Putat confundi species per genus. Forfan confusio metuenda piscium, avium, & aliarum specierum, cum animalia aut corpora dicuntur. Sicut confusio fit, cum dicimus, nec animalium nec plantarum semina excrementum esse. Dignæ verò rationes, quæ audiuntur: plantæ carent sexu, ergò semen earum non est excrementum: plantæ habent aliud alimentum, quàm animalia, ergò earum semen non est excrementum. Non esse semina illa excrementa scimus, sed non ob has rationes.

XXVII. Addit. *Pisces & aves alimentum, si ultimam formam spectes, nobile habent, cujus pars superflua in semen facessit, quod de plantis dici nequit.* Esto nobilius alimentum piscium ac avium, quàm plantarum, sed quid inde? Facessat superflua alimenti pars in semen. Sed quid inde? Apponat conclusionem. Nos argumentamur. Quodcunq; semen ex superflua parte alimenti generatur, illud est excrementum. Avium & piscium, quin & plantarum semina ex superflua parte alimenti generantur. E. avium & piscium, quin & plantarum semina sunt excrementa. Pulcherrimam hanc Majorem suppeditat Advers. quin & Minorem dare cogitur. Conclusionem negat.

XXVIII. Respondet 4. *in piscibus & avibus confundi conceptus cum semine: ova conceptus loco esse, & semen utriusq; genitoris præsupponere.* Fingit confusionem. Si canum & equorum semina sunt excrementa, cur non etiam piscium & avium? Ova, inquit, conceptus loco sunt, & semen utriusq; genitoris præsupponunt. Nihil ad rem. Primò de quibusdam id verum est, non de omnibus. De Prolificis, non de Subventaneis. Ad hæc ergò non spectat responsio. Deinde, hoc semen
C utriusq;

utriusq; genitoris, quod in istis præsupponi vult, estne excrementum? Excrementū, ait alibi, Aristoteles appellat reliquias alimenti ultimi. Fiat applicatio. Etiam piscium & avium semina eodem sensu alimenti ultimi reliquiæ sunt. Nulla igitur fit confusio, sed eorum, quæ in re conveniunt, conjunctio.

XXIX. Progreditur ad ea, quibus Sennertus dixit, semen non esse solūm superfluitatē, sed primariā naturæ intentione, ut rem maximè necessariā ex optimo sanguine à *ἂνι σπέρματος ποικιλῆ* generari. His opponit verba quædam D. Hoffmanni, qui ita: *Hæc ita intelligere oportet: semen est residuum illius sanguinis, qui cum benè purgatus jam esset, aptusq; qui actu nutrirer, non nutrit tamen, sed faciescit in semen. Quod quia excernitur (id verò est oppositum illi, ad quod alimentum destinatum est) dicitur excrementum, quia usum habet ad speciei conservationem, dicitur excrementum utile. Atq; sic nihil aliud inquit Aristotelem intendere, quàm quod à Sennerto fuit inculcatum.*

XXX. Verūm se ipsum refutat, Sennerti sententiam confirmat. Dicebat alibi, semen ab Aristotelicis non dici excrementum quia excernitur. Nunc adfert Hofmannum Aristotelicum, cujus verba vult recipi. *Semen quia excernitur, dicitur excrementum.* Excrementum verò si residuum sanguinis notat, ex quo semen generandum est, habet Sennertus, quod voluit. Malè scilicet definiiri semen per materiam generationis. Non est definiendus homo per semen, neq; quercus per glandem. Pariter non definiendum semen per materiam, ex qua generatur. Aristotelem id voluisse, quod ineptè putat Adversarius, excrementum nempè esse genus seminis, non dixerim.

XXXI. Pergit ad mea verba, quæ sic habent: *Nec inter utile & inutile excrementum distinguere queunt. Excrementum enim esse, & utile esse, oppositum in appposito & atramentum rubrum est. Non dignitatis nomen est, quicquid etiam adjeceris. Regerit ad hæc 1. non esse oppositum in appposito, non esse atramentum rubrum, excrementum utile, Aristoteli definitum, me aliter, nimirum spe-*

cialiter

cialiter, pro fecibus & sordibus, sumere excrementum : atq; ita fieri posse oppositum in appposito, sed non ex Aristotele.

XXXII. Non mihi de Aristotele sermo, sed de iis, qui semen per excrementum utile definiunt. Aristotelis ὑπόλειμμα exprimere si voluissent, semen potius residuum aut reliquias, quam excrementum dixissent. Immensum autem differunt, excrementum & reliquia. Reliquia cœnæ non sunt excrementa cœnæ, nec reliquia sanctorum excrementa sanctorum. Ita Aristotelici hi Aristotelis mentem ineptis explicationibus ac definitionibus pervertunt. Non est oppositum in appposito, non est atramentum rubrum, ὑπόλειμμα χρήσιμον, utile residuum, utiles reliquia. Est a. oppositum in appposito, utile excrementum. Præsertim cum excrementum alimento opponitur. Nec specialiter sumo excrementum pro fecibus & sordibus: sed generaliter pro omni eo, quod expurgatur. Ex usu communi si excrementum judico, nihil boni habet. Debat autem in formandis definitionibus observari communis verborum usus.

XXXIII. Regerit. 2. non dignitatis nomen esse excrementum, prout à me sumitur; dignitatem autem non excludi, in ea, in qua Aristoteles adhibuit, significatione. Sanè non dignitatis nomen est excrementum juxta communem loquendi usum. Usum autem valent verba sicut nummi. Publicus usus potest, quod Cæsar non potest. Ineptè verò provocat ad Aristotelem. De Voce Latina est res, & respondet ex Aristotele, qui Græcè loquitur. Ex Aristotele vult probare nomen excrementi non excludere dignitatem. Forsan sic colligit: Aristotelis ὑπόλειμμα non excludit dignitatem, ergò neq; excludit eam Interpretum excrementum. Hoc est, Qui vescitur utilibus reliquiis cœnæ, is vescitur utilibus excrementis. Qui adorat reliquias sanctorum, adorat excrementa sanctorum.

XXXIV. Magis magisq; rem declarare vult, & dicit; Aristotelis mentem esse hanc: semen fieri ex ultimâ alimenti portione, & esse partem aliquam utilis alimenti, esse reliquias alimenti &c. Nihil obtinet dictis. Dudum ista audivimus. Nulla verò consequentia: Semen fit ex alimenti portione, ergò est alimenti

C 2

menti

menti portio: semen fit ex excremento, ergo est excrementum: semen fit ex sanguine, ergo est sanguis. Ita perpetuo sumit Definitionem ex materia generationis. At nunquam hæc essentialiter prædicatur de suo toto.

XXXV. Addit, excrementum esse genus, & hoc per duas differentias, per utile & inutile, ad duas species contrahi, & sic Aristotelem utilia excrementa dicere pituitam, medullam, pinguedinem & semen: inutilia, sedimen abvi & vesica. Est coccyismus. Repeto responsa. Materia generationis nunquam fit genus geniti. Differentia verò essentiam explicare si debet, non ad usum recurrendum. Aliud essentia rei, aliud usus rei. Et qualis differentia ista, quæ à non usu sumitur. Tam benè negatione differentiam rei positivæ exprimit. Constituitur ne urina per id, quod non sit utilis? Stercus per id, quod destituatur usu?

Instit. Med.
l. i. c. 10.

XXXVI. Sed consensum nostrum vult adferre, ne quid nugarum desit. De D. Sennerto, inquit, quod Aristotelis sententiam explicet hoc pacto: *semen esse excrementum, non quasi sit quiddam excrementitium, sed quod illud, quod in partibus ad alendum superat & abundat, cum spiritibus ad testes mittatur, materiamq; semini suppeditet.* Consensum habet, scilicet de materia ex qua semen fit. Ergone essentia seminis in hac generationis materia consistit? sicut essentia panis in farina, essentia chyli in cibo. Aut essentia muris, æquivocè juxta Adversarium generati, in quis quiliis.

Pb. Recog.
Part. spec. l. 6.
c. 5.

XXXVII. De D. Scharfio scribit, quod hæc verba ponat: *aliàs semen dicitur excrementum genitale, excrementum seminale.* Egregia probatio! Definitionem hanc seminis tradit D. Scharfius: *semen est humor, ex utili superfluitate alimenti ultimi sanguinei in venis relictæ, & spirituum oberantium permixtione, vò testium productus atq; in iis reservatus pro speciei successiva generatione.* His subjicit: *Aliàs dicitur excrementum genitale & seminale.* Atq; hinc consensum & plausum captat mirus artifex. Qui semen aliàs excrementum dici scribit, is nimirum essentiam seminis in excremento consistere, is genus seminis excrementum esse, statuit. Tam acutè disputat, ut dicta tenues protinus vaneant in auras.

XXXVIII.

XXXVIII. Meum consensum ut eliciat, verba petit e quodam responso Freitagio dato. *Semen suo modo excrementum esse norunt omnes.* Lepidissima probatio est. Omnes norunt semen suo modo esse excrementum: ergo essentia seminis in excremento consistit: ergo genus seminis excrementum est. Non dicam quid Adversarius suo modo sit, aliud afferam. Omnes norunt hominem suo modo esse mundum magnum, & suo modo mundum parvum: ergo mundus magnus & mundus parvus sunt genus hominis. Modum autem facile scire potuisset, si voluisset. Ita Sennertus: *Licet, quod in animalibus excernitur, suo modo excrementum dici potest semen: tamen hoc non omni semini, utpote plantarum competit.*

Def. Tr. de
Orig. Tor.
p. 333.

Hyp. 4. c. 6.

XXXIX. Sed addit. *Et hoc sufficit nobis. Est enim ille specialis modus, sicut & urina suo modo excrementum est, & sordes per sudorem ejectæ suo modo sunt excrementa; unumquodq; secundum propriam & specialem rationem, generali excrementi ratione eo ipso non negata, sed in illis præsupposita.* Quantum intelligo, suo modo homo est animal, suo modo equus, suo modo canis; unumquodq; secundum propriam & specialem rationem. Sicut suo modo Adversarius disputat, litigioso & puerili; secundum propriam suam & specialem rationem, generali eo ipso non negata, sed præsupposita. Juxta quam accuratam rationem homo non est absolutè animal, sed suo modo: & alio quidem modo homo, alio equus, alio canis. Physica non est absolutè scientia, sed suo modo: cælum non est absolutè substantia, sed suo modo; sicut semen à Sennerto & me ipso suo modo dictum fuit excrementum. Et hoc sufficit Adversario, qui essentiam seminis in excremento quærebat.

XL. Narrationis compendium ut fiat, res & causa Adversarii eo loci est. Semen animalium an excrementum sit, quaeritur. Est, inquit, suo modo speciali. At genera non speciali, sed communi modo de speciebus dicuntur. Habet autem excrementum pro genere seminis & urinæ. Sed modum ad vocabulum vult restringere. Eò, inquit, modo, quo excrementum notat residuum sanguinis. Jam genus dat quod æquivocatione laborat. Idem nomen, sed non eadem nominis ratio se-
mini

C 3

mini

mini & urinæ competit. Non ergò genus erit; neq; species erunt utile & inutile. Et licetnè substituere pro excremento residuum & reliquias sanguinis? Illis forsan quibus idem sunt, reliquiæ sanctorum & excrementa sanctorum, residuum cænæ & excrementum cænæ, residuum lactis, & excrementum lactis. Deniq; estnè semen excrementum hoc modo sumtum, hoc est, residuum sanguinis? Estne res generata materia generationis, res producta materia productionis? Iis, quibus lac est sanguis, sanguis est chylus, chylus est cibus, & panis est farina. Hæc illa sapientia Adversarii, qui ad disputandum elicere potuit alios.

De Form.
Hom. c. 2. q. 2.
P. 40.
P. 30.

XLII. Restat id, *an semen sit excrementum tertiæ coctionis?* Verba mea sic habent: *Ultimi alimenti excrementum non est, quia per duas venas, duasq; arterias satis patentes sanguis defertur ad testes. Illud opus haud sit, ex saturatis partibus reliquias quasdam trahi à testibus. Item: Materia ex qua est sanguis, cum arteriosus, tum venosus. Formavit enim provida mater duas venas, duasq; arterias. Binæ in dextro, & binæ in sinistro reperiuntur latere. Venæ sanguinem crassiorem, arteriæ subtiliorem deferunt. Utræq; ad parastatas & testes tendunt, ut sanguis ibi formam induat seminis. Error igitur est, ex residuo tertiæ coctionis pronasci semen. Non id testatur Anatomia, non vasa patentissima.*

Instit. Med.
l. I. c. 10.

XLII. D. Sennertus ita de re hac: *Pleriq; seminis materiam à tertiæ coctione peti existimant; & quia à tertiæ coctione seminis materia decidatur & suppeditetur, rudem quasi delineationem, signaturam & formam precipuarum partium in se complecti statuunt, &c. alii tamen præter spiritus, tantum sanguinem rubrum, nullog; modo à solidis partibus alteratum, à venis & arteriis seminalibus è vena cava & arteria magna testibus communicari statuunt &c. Item: Multò minus excrementum est tertiæ coctionis; sed ex sanguine venoso & arterioso, ac spiritibus vitalibus in suis vasis generatur.*

XLIII. Occinit his Advers. hunc in modum: *Quæ consequentia? Sanguis per duas venas, duasq; arterias satis patentes defertur ad testes. Ergò reliquiæ ultimi alimenti nullæ sunt? Nulla. Monstrabo homini consequentiã, atq; imbecillitati succurram. Quicquid per duas venas duasq; arterias satis patentes defertur ad testes,*

testes, illud non est excrementum tertiæ coctionis, neq; residuum alimenti ultimi partium solidarum. Semen, aut materia seminis, per duas venas duasq; arterias satis patentes, defertur ad testes. E semen aut materia seminis non est excrementum tertiæ coctionis, neq; residuum alimenti ultimi partium solidarum. Novit forsan quid velit residuum, aut quid tertia coctio sit. Capiet ergo consequentiam. Capiet falsum esse, quod Aristoteles habet, semen esse *ὑπόλειμμα*, perindè ac pictoribus aliquid purpurissi remanet.

XLIV. Item: Quicquid per duas venas, duasq; arterias satis patentes defertur ad testes, illud à tertia coctione non petitur. Semen aut materia seminis, per duas venas, duasq; arterias satis patentes, defertur ad testes. Ergò semen aut materia seminis à tertia coctione non petitur. Novit forsan ubi fiat tertia coctio. Capiet ergo consequentiam. Item: Quicquid parastatis & testibus traditur, antequàm tertia coctio fiat, illud ex residuo tertiæ coctionis non nascitur. Materia seminis parastatis & testibus traditur, antequàm tertia coctio fiat. E. materia seminis ex residuo tertiæ coctionis nō nascitur. Novit forsan ubi parastatis & testes sint. Capiet ergo consequentiam. Item: Quicquid per duas venas duasq; arterias satis patentes, defertur ad testes, illud ex ultima alimenti portione non fit. Semè per duas venas duasq; arterias satis patentes defertur ad testes. E. Semè ex ultima alimenti portione nō fit. Novit forsan quid sit ultima portio. Novit etiã se ita locutū esse: *Aristoteles statuit, semen fieri ex ultima alimenti portione eaq; optima*. Capiet ergò consequentiã.

XLV. Pergit: *Nos 1. argumentum illud nostrum facimus: sanguis superabundans nutritivus partium corporis adeoq; non necessarius defertur ad testes. E. datur sanguis superabundans, vel quod idem est, superfuitas sanguinis optimi, vel, quod idem est. E. dantur reliquie sanguinis nutritivales, vel, quod idem est, reliquie alimenti ultimi, quod non est aliud, quàm sanguis ultimò depuratus & perfectus. Tã clarè, tã explicatè dicit omnia, ut nemo possit apertius, vel quod idem est, ineptius. Sanguis abundans nutritivus partium corporis defertur ad testes: ergò datur sanguis abundans, vel quod idem est, vel quod idem est &c.*

XLVI. Omnes res cautiùs, ne temerè faciat, accurat. Invertit ar-

tit ar-

tit argumentum, quod non intelligit. Invertit per ea, quæ argumentum evertibat. Evertibat quippè sanguinem superabundantem nutritui partium corporis deferri ad testes. In rem si est, do argumentum. Quicquid parastatis & testibus traditur, antequam ad partes nutriendas pervenire potest, illud non superabundat nutritui partium corporis. Materia seminis parastatis & testibus traditur, antequam ad partes nutriendas pervenire potest. Ergò materia seminis non superabundat nutritui partium corporis. Major cunctis nota. Minor probata fuit, quia per duas venas duasq; arterias satis patentes ad testes defertur. Invertat argumentum Advers. gravis.

XLVII. Pergit. 2. argumentor: *sanguis superabundans & ad nutritionem non necessarius deferretur ad testes. E. reliquie sanguinis nutritivales deferuntur ad testes. E. reliquie sanguinis trahuntur à testibus. Prior consequentia patet, quia sanguis ille superabundans, non est alius vel aliud quid, quam reliquie ultimi alimenti, quæ non ad nutritionem, sed ad generationem à Natura destinata. Nugari non est ratiocinari. Præsupponit, quod refutatum est, sanguinem nutritui superabundantem deferri ad testes. Contrarium probatur per venas & arterias patentes. Cadunt ergo suavissima illæ consequentiæ.*

XLVIII. Sed argutiolas petit è vocabulis. Ait i. *bic discrimen faciendum inter has duas locutiones: sanguis, vel reliquie sanguinis ex saturatis partibus trahuntur à testibus, vel ad illos deferuntur, id quod neq; Aristoteles, neq; nos hæcenus asseruimus; & sanguinis nutritivales reliquie, partium corporis utpote saturatarum nutritui non necessaria, ad testes deferuntur, ab illisq; attrahuntur; quæ assertio Aristotelis est, & nobis servatur. Emergere & ad bonam frugem se recipere vult: sed voragines obstant, quibus magis & magis submergitur.*

XLIX. Primò, nostra ratio opposita iis est, de quibus Senner-tus, dicebat: *Pleriq; seminis materiam à tertia coctione peti existimant; & quia à tertia coctione seminis materia decidatur & suppeditetur, rudem quasi delineationem, signaturam & formam precipuarum partium in se complecti statuunt. His sanè ex saturatis partibus reliquie trahuntur à testibus. Contra hos dico, venas & arterias patentes refutare errorem.*

L. De-

L. Deinde, sive dicat saturatis partibus, sive ex saturatis partibus, trahi reliquias sanguinis, à venis & arteriis patentibus confutatur. Credo non nosse hominem, quid residuum, quid reliquiae sint. Residuum alimenti, quid aliud est, quam quod saturatis partibus superat? Reliquiae carnae quid sunt, nisi partes quae saturatis hospitiis remansere? Non habet mentem verborum ac rerum cognitione saturatam, qui haec non intelligit. Iam suntne partes saturatae, cum vasa spermatica ex arteria magna & vena cavâ sanguinem ad testes deducunt? Cæcus dixerit.

LI. Ait 2. *Idem in re est, quod illi statuunt, & quod nos asserimus; modo offendit illos singularitas phraseos Aristotelica. Nimirum unanimes est sententia, semen generari ex optimo sanguine. Non autem est ille optimus sanguis alius, quam ille, qui residuum est alimenti ultimi, quo partes non indigebant, utpote quae saturata erant. Idem illis, quibus idem coctionis secundae & coctionis tertiae excrementum: quibus idem, ultima sanguinis portio & prima aut secunda: quibus idem, sanguinis residuum & sanguinis excrementum: quibus idem, optimum & pessimum. Firmissimae consequentiae sunt: semen generatur ex optimo sanguine, ergo est optimus sanguis: ergo est ultima portio sanguinis: ergo est residuum sanguinis, quo non indigent partes saturatae: ergo est excrementum sanguinis. Nimis robustus sit, quem non offendat, non phraseos tantum, sed & consequentiarum singularitas.*

LII. Ait 3. *Discurro ita: Semen est excrementum; ita concedunt illi in §. 11. Sed cuius excrementum est semen, si non est alimenti? Porro, illud alimentum aut est ultimum, aut non. Si non est ultimum non est optimus sanguis. Denique, aut mutatur alimentum ultimum, aut non mutatur, si idem manet, seminis formam & appellationem non accipiet. Accuratè, ut omnia. Concedunt illi, qui negant. Concedunt, qui rationibus oppositis contrarium evincunt. Concedunt, qui materiã generationis cum re genita non debere confundi monstrant. Concedunt, qui residuum & excrementum longissimè differre docent. Concedunt, qui frustra ad residuum recurri ajunt, ob vasa patentissima. Et quidni semen esset excrementum, cum fiat ex excremento mutato? Sicut pullus ovum est, sicut os semen est, sicut panis farina est.*

D

LIII. An.

LIII. Antequam abeat hinc, alia subjicit è Tractatu meo. Ita, ait, pergit: Et quamvis reponant, pueros ac senes decrepitos semen non emittere, quia nulla istis supersint reliquia: tamen frustra se macerant. Alia subsunt causa. In pueris nondum perfecta ac firma datur etas. Hinc seminis defectus. Senes decrepiti fiunt pueris similes. Non moribus saltem, sed & viribus corporis. Unde ob vasorum & organorum imbecillitatem, aut nullum, aut infœcundum semen generant. Res eò redit. Tantum sanguinis, tantum materiae, facile haberent pueri & senes: at materia sola ad opus non sufficit. Habeas calcem & lapides, non erit domus: architecto etiam opus est, instrumentis opus est.

LIV. Respondet 1. non solum illam rationem, quae à conditione materiae desumpta est, verùm alias quoq; adhibent Aristotelici, maxime illam, quae à conditione efficientis desumitur. Verùm dent modo rationem hanc, sive solum, sive non solum. Aut colliget: non solus homo est animal, ergo non est animal. Non solum dant hanc rationem. ergo non dant. Dant sane, sed male dant. Cæteras rationes proferre ibi, nostri non erat instituti. Hanc terti, datâ ibi occasione.

LV. Respondet 2. Hic non tam respiciendum est ad vasa & organa *ἡ σπέρματι ποίησι* dicata, quàm ad calorem nativum, communem illi *ἡ δὲ φύσις*, qui in prima & ultima, sive in puerili & senili etate, non ea perfectione agit, quae in media. Vasa *ἡ σπέρματι ποίησι* procul dubio suum facerent officium, sicut faciunt organa nutritioni dicata, verum defectui materiae & caloris operantis imbecillitati adscribendum id omne, quod desideratur. Arbitror hominem rixandi studio ea tradere, quae falsa esse novit. Falsum est, in actionibus organicis non tam respiciendum esse ad organa, quàm ad calorem. *ἡ σπέρματι ποίησι* autem est actio organica. Respondeat ad argumentum: In omni actione organica magis ad organum, quàm ad calorem respiciendum est. *ἡ σπέρματι ποίησι* est actio organica. E. in *ἡ σπέρματι ποίησι* magis ad organum, quàm ad calorem respiciendum est. Ignorantiam suam prodit, si vel Majorem vel Minorem negare, audeat. In visione non est magis respiciendum ad calorem, quàm ad oculum, neq; in ambulatione.

LVI. Falsum etiam est, calorem nativum in primâ & puerili

erili

erili ætate imbecillem esse. Major est calor natus in pueris, quam in adolescentibus, quam in juvenibus, quam in vitis. Dicit hoc alias Adversarius è suo Jacchæo, in quem sic commentatur: *Tres ætates Autor describit: primam, qua nutriens vis est valdè vegeta, & calor natus fortis, ut plus nutrimenti reponatur versus omnem dimensionem corporis, quam de eius substantia ablatum; mediam & floridam, qua calore natus existente temperato, nutriens facultas non plus reponit, quam fuit ablatum; extremam, qua calore natus debiliore reddito, & viribus corporis deficientibus, vis nutriens minus alimenti reponit, quam absumptum est.* Hæc si Traducianus scripsisset, infelici successu ingentem contradictionum farraginem in vulgus edidisset.

Lib. 8. p. 665.

LVII. Labet adducere in rem hanc Sennertum. Infantes & pueri sunt calidi & humidus, quod non solum tactu, quo copiosus, blandus & balituosus calor deprehenditur cognoscere, sed aliunde etiam colligere licet. Cum enim nostra generationis principia calido & humido polleant: quo quis ortui propior est, eò etiam merito calidior & humidior censetur. Deinde docent id nature opera, auctio & nutritio, qua in pueris maxime vigent, & tamen non nisi caloris & humoris beneficio fieri possunt & c. De quo etiam Hippocrates i. Aphorism. 14. Ταύτωνόμεινα, inquit, πλείστον ἔχει τὸ ἐμφυτὸν θερμὸν. Πλείστης δὲν δεῖται τροφῆς: Qui crescunt plurimum habent calidum innatum: plurimo itaque alimento egent.

Inst. Med. l. 1. c. 4.

LVIII. Neque ad vasa spermatica videndum adeo, sed cum primis ad testes, quibus in seminis elaboratione principatus debetur. Ad sit materia, ad sit calor, ad sint vasa spermatica: testes tamen nisi habuerint substantiam suam perfectam, operosa illa res peragi nequit. Placent verba Laurentii. *Maxima sane & penè incredibilis testium est vis, non modo ad fecunditatem, sed etiam ad temperamenti, habitus, substantia propria & morum alterationem: illis enim exsectis, contortis, refrigeratis, perit virilitas omnisque libidinis amor extinguatur.*

Lib. 17. c. 4.

LIX. Pergit Advers. *Materia absorbitur in augmentum corporis, & calor in pueris nondum usque eò ascendit, ut gradum coctionis illum, qui semini perfecto debetur, attingere possit & c.* De calore dictum. De augmento corporis si vera sunt, quæ loquitur, ante vigesimum

vigesimum quartum annum non habebunt semen masculi. Hunc enim ex Jacchæo ponit terminum augmentationis. Argumentor: Quibuscunq; materia absumitur in augmentum corporis, illis semen deest. Atqui non pueris modo, sed & adolescentibus materia absumitur in augmentum corporis. E. non pueris modo sed & adolescentibus semen deest. Negabit forsitan conclusionem concessis præmissis. Et brutis quid continget? Quæ frequentissimè generant dum augentur. Quæ tanto impetu ad generationis opus ruunt, ut augmentationis opus impediatur. Ubi præripitur sanguis partibus augendis. tantum abest ex residuo fieri semen.

LX. Respondet 3. *in infantia & senectute, ætatis conditione ita ferente, poscente, non adeò multum sanguinis elaborari, ac in annis virilibus. Hinc ubi minus sanguinis, ibi minus materiae esse pro seminis generatione.* Transeat de pueris fuisse sermonem, non de infantibus. At forsitan sub infantia pueritiam & adolescentiam comprehendit. Ubi falsum est, in infantibus, in pueris, & in adolescentibus, non tantum sanguinis elaborari, quantum in viris. Argumentor: In quibuscunq; nutritio & auctio maximè vigent, in iis plurimum sanguinis elaboratur. In infantibus, pueris & adolescentibus nutritio & auctio maximè vigent. E. in infantibus, pueris & adolescentibus, plurimum sanguinis elaboratur.

LXIV. Claudit verbis D. Scharfii: *Semen generatur ex sanguine superflui alimenti. Postquam enim omnes partes ex sanguine, qui ad unamquamq; fertur, successivè receperunt alimentum sufficiens, solet adhuc relinqui abundans nutrimentum, quod in venis ex sanguine relictum postea defertur ad testiculos, à quorum virtute genitali transmutatur in semen.* Hinc dicitur semen generari ex sanguine superflui alimenti &c. Repeto argumentum: Quicquid generatur ex residuo sanguinis, illud non est ipsum residuum sanguinis. Semen generatur ex residuo sanguinis. E. semen non est ipsum residuum sanguinis. Et claudo verbis D. Sennerti: *Mul-
tò minus semen est excrementum tertiæ coctionis: sed ex sanguine venoso & arterioso, ac spiritibus vitalibus, in suis vasis generatur, ut idoneum ad animam propagandam sit receptaculum.*

Hyp. 4.c. 14.
p. 338.